

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6718

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Neufmesnil, Notre-Dame et Saint-Nicolas de Blanchelande (abbaye, abbé)

Genre d'acte : charte

Authenticité : douteux

Datation : 1157

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation des biens de l'abbaye de Blanchelande.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XIX, col. 244 (fragment).
- b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° XXXIV, t. 1, p. 135-136.

Dissertation critique

Sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 135.

Texte établi d'après b

H., rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, vicecomitibus, baronibus et justiciis omnibus suis et omnibus fidelibus suis, salutem. Sciatis me concessisse et confirmasse in perpetuam elemosinam Deo et ecclesie Sancti Nicolai de Blanca Landa, et canonicis ibidem sub abbate in ordine Premonstratensi Deo servientibus, quicquid eis rationabiliter et juste collatum est, videlicet has subscriptas elemosinas quas Ricardus de Haya et Matildis uxor ejus, predicte ecclesie fundatores, et Radulfus de Haya, Ricardi nepos, et Willelmus de Vernone et Ricardus, ejus filius, eidem ecclesie contulerunt, ipsum videlicet locum qui Blanca Landa dicitur, in quo fundata est ecclesia, cum omnibus adjacentibus suis, terra fructuosa et infructuosa, landa et foresta, a Bella Valle usque ad Montem Estenclin, sicut terminorum designat appositio. In Cretevilla, ecclesiam ejusdem ville liberam et quietam, cum omnibus pertinentiis suis, sicut carta Ricardi Constantiensis episcopi testatur, et pisces exclude, quoquo modo capiantur, et unam acram terre ibi juxta ad hospitandum piscatorem, et terram Hugonis Tauri. In Bosevilla, ecclesiam ejusdem ville, et terram Parnier. Ad Essartz, duas masuras terre. In Varenquebec, terram Gobe. In Dovilla, terram Nigelli filii Emme. In Haya, terram Cornart, et quadraginta solidos in theloneo. In Anfremaisnil, decem acras terre, et terram Gaufridi fratris sacerdotis, que est de elemosina. In ecclesia de Monte Gardo, quicquid ad feodum ipsius Ricardi pertinet, sicut scriptum Ricardi, Constantiensis episcopi, declarat, et unam piscaturam in mari, et salinam Gosberti, et terram Richerii de Fenouillères. In forestis suis omnes costumus, videlicet ad omnia edificia sua facienda et reficienda, et ad ignem et pasturam animalium, et pasnagium porcorum suorum et porcorum suorum hominum, ab ipsis hominibus canonicis persolvendum ; in parco porcis canonicorum communem cum porcis domini libertatem ; et

abrosturam boum ; et decimam pasnagii et careii et ferine ibidem capte, et coria cervorum et aliarum bestiarum. In Anglia, manerium de Cambringueham, cum omnibus ad illud pertinentibus. In Popevilla et Varevilla, que maneria ipse Ricardus de me pro servitio suo habebat, concedo et confirmo illa que ipse Ricardus prefate ecclesie contulit, videlicet decimam grangiarum eorundem maneriorum, et decimam garbagii et omnium denariorum, excepto theloneo, et decimam camparti, crassi piscis, et decimam ferie Campanie. Similiter confirmo et hec alia dona que subscripti benefactores predictae ecclesie donaverunt : Willelmus de Vernone, tria quarteria frumenti in molendinis de Nigelli Humo ; Willelmus de Sancto Johanne, unum hominem reddentem unam minam frumenti ad Torevillam ; Engelgerius de Bohon, terram de Bouhenet ad Bohon ; Ricardus Avenel, ecclesiam Sancti Georgii de Bauteis, cum omnibus pertinentiis suis, excepta parte illa que ad feodum Plaisseii pertinet ; dedit etiam unum hominem reddentem tres bussellos frumenti et centum anguillas in piscatoria molendini Guerout ; Doon Bardouf et Thomas frater ejus, decimam molendini de Bresillevast et decimam molendini de Monte Martini ; Hugo Vuach, unam minam frumenti ad Cathevillam ; Robertus de Pretot, unam acram terre et unum quarterium frumenti ; Radulfus clericus, suam terram de Anfremaisnil cum hominibus ; Ricardus de Glatigneio, terram Blaque Lande, adjacentem Rogerio de Monasteriis, et unam minam salis. Ut autem hec omnia supra scripta, et quecumque in futurum et a quibuscumque rationabiliter et juste predictae ecclesie fuerint collata, firma et illibata permaneant, regia auctoritate confirmo, et confirmata in regnum post me venturis protegenda et confirmanda reliqui et commendo.

Testibus, etc.

Datum anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo.